

Q. D. B. V.

MEMORIAM ANNIVERSARIAM
VIRI NOBILISSIMI

DNI
**MELCH. CASP.
WINKLERI,**

QVONDAM

IN **H**ellersdorff & **S**ommerau HÆREDITARII,
GYMNASIO ZITTAVIENSI

COMMENDATAM,

ad d. XXX. Maj. M DCLXXXIV.

CELEBRANDAM,

PATRONIS, FAUTORIBUS, AMICIS
DENUO COMMENDAT,

DICTURUS

AD ALLUSIONEM NOMINIS,


DE

STUDIORUM

LAPIDE ANGULARI,

RECTOR.

CHRISTIANUS WEISE.



ZITTAVIÆ,

TYPIS MICHAELIS HARTMANNI,



NEmpe Winklerum celebrare fas est,
Justa cui Virtus Pietasq; solvit,
Ut Scholæ tantus per amica vivat
Pulpita Fautor.

Vixerat nulli gravis aut molestus,
Singulis gratus, sibimet quietus,
Quippe Fortunæ fatis esse credens
Dona tueri.

Vota non fecit, nisi quæ Jehovah
Corde gestaret minus impedito,
Sic Poli cultum, memores & Orbis,
Servat honores.


Jusus ad salvam properare mortem,
Omnis ut tardè moreretur, inter
Eruditorum voluit catervas
Esse superstes.

Inde præclaro velut actus œstro
Ultimas nobis tabulas sacravit,
Ornet ut blandas quoq; liberalis
Portio Musas.

Opias laudes quibus ipsa gaudent
Fata, quas nullus terit invidorum
Fervor, aut multum quatit æmulantis
Prava cupido.

Livor in vivis sua jura tentat,
Atq; crescentem petit umbra lucem,
Digna sed clausum merito fovebit
Fama sepulchrum.

Er-



Ergo Winklerus quasi negligentes
Gloriæ vivens stimulos recepit,
Tarda dum vellent dare gloriosum
Fœnora fructum.

Crescat Exemplis bona Zitta pulchris,
Atq; si multos memoret Patronos,
Æmulabundam melius celebret
Posteritatem.

Annuat Pacis Pater atq; Custos,
Ne Scholam dirus minuatur tumultus,
Nec pias causas premat impiorum
Fœda tyrannis.


Interim siqvem juvat intueri
Deditam castis precibus cathedram,
Crastinam nobis placidus favensq;
Confecret horam.

Ipsè Winklerus breviter loquenti
Nominis certum referabit omen,
Ut Viro quivis sciat Angulari
Debita solvi.

Namq; doctorum quis adibit arcem,
Vel Libris sacras habitabit ædes,
Fauſta ni paſſim LAPIS ANGULARIS
Vincula firmet.

Junge fortunam ſtudiis, decorum
Utili, muros ſtrue non fugaces,
Si LAPIS deſit, patietur omnis
Cura ruinam.

Er-



Ergo quem Virtus velit Angularem,
Quidq; constantem Juveni Salutem
Firmet ad iaudes bene prodituro,
Dicere mens est.

Exerant Patres Patriæ favorem,
Nec minus docti faveant Magistri,
Quin & excrescens ruat in notanda
Verba Juventus.

Jova qui nobis struit Angularem,
Qui solet Templi cohibere muros,
Qvo DUCIS sedes cupiente & Alma
Curia floret;

Angulis addat sua tela nostris,
Ut Scholæ fultus paries benignos
Angelos semper, velut Angulares,
Vivere cernat.



18